DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FRIGORIS EFFECTIBUS

IN MORBIS MEDENDIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FRIGORIS EFFECTIBUS IN MORBIS MEDENDIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu; et

Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS NELSON,

ANGLUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

VIRIS EXIMIIS,

PRÆCEPTORIBUS SUIS PLURIMUM COLENDIS,

ALEXANDRO MONRO,
JOSEPHO BLACK,
JACOBO GREGORY,
ANDREÆ DUNCAN,
DANIELI RUTHERFORD,
THOMÆ CAROLO HOPE,
ET
JACOBO HOME,

ARTIS MEDICÆ IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORIBUS CELEBERRIMIS,

OB PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM,

OMNI QUO PAR EST OBSEQUIO ET EXISTIMATIONE,

OFFERT

THOMAS NELSON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FRIGORIS EFFECTIBUS

IN MORBIS MEDENDIS.

NULLUM remedium, quo corporis humani morbis mederi conamur, tutiùs adhiberi aut faciliùs obtineri poteſt quàm Frigus; eóque nihil fortaſsè, ad plures morbos præcavendos et ſanandos, utilius eſt, vel plus commodi promittit: ita me laborem haud inutilem ſuſcepturum exiſtimavi, ſi

pauca de frigoris effectibus in morbis medendis ſcriberem. Minimè autem mihi neceſſarium viſum eſt, aliquid de cauſa caloris animalium dicere. Nec in animo fuit argumentum inire de re adeo obſcura et difficili, qualis eſt modus, quo frigus tot et tam miros effectus in corpore humano præſtat: ſed res factas et veras, de ipſis mutationibus, quas in corpore humano efficit, quantùm in me eſt, notare.

Quamvis frigus, quatenus ad res medicas ſpectat, nihil aliud ſit quàm corporis caloris abſtractio, contactu vel appropinquatione corporum temperiei inferioris; de illo tamen, ut medicorum mos eſt, tanquam quodam principio loquar, quod variis mediis noſtris corporibus applicari poſſit.

Media quæ, ut plurimum, a medicis uſurpantur ad calorem corporum, morbo laborantium, abſtrahendum ſunt aër et aqua: ad horum

horum applicationis effectus animum præcipuè advertam.

Antequam aliquid de frigoris effectibus ſpecialibus in vivo corpore dicere aggredior, effectus ejus generaliores, quùm gradibus diverſis applicatur, notare conveniet; et hos ſecundum gradus, vel *abſolutum* vel *relativum* dici poteſt.

FRIGUS ABSOLUTUM.

Frigus abſolutum illud eſt, quo corpus quodvis temperiei inferioris, alterius temperiei ſuperioris, cui applicatur, calorem minuit. Calor autem corporis viventis haud tam facilè, quàm corporum inanimatorum, minuitur; corpori enim vivo ineſt poteſtas gignendi calorem, ad jacturam illam reparandam, quæ, atmoſphæræ frigidioris, aliorum-

que

que corporum, temperiei inferioris, contactu perpetuò fit.

Sani corporis humani temperies, eſt circa gradum nonageſimum octavum thermometri FAHRENHEITIANI; quam temperiem retinere valet, quamvis aëre aliisque corporibus temperiei multò inferioris circumdatum ſit: nec ullam ejus caloris diminutionem patitur vivum corpus, niſi frigus ei applicatum, infra gradum ſexageſimum ſecundum ſit. In hac noſtra regione videtur corpus humanum, prorsùs nudum et quietum, vi frigori graduum ſexaginta duorum reſiſtendi præditum eſſe. Frigus itaque nullam vim abſolutam, niſi in temperie aliquantò inferiori, in vivum corpus habet. Quando itaque aëris temperies infra gradum ſexageſimum ſecundum eſt, corpus veſtimentis indui oportet, quæ ejus calorem retineant, aut temperies aëris circumdantis foco emendari poteſt.

Aſſeruerunt

Aſſeruerunt nonnulli temperiem corporis naturalem, quam circa gradum nonageſimum octavum diximus, omni temperiei gradu qui eſt ſupra ſexageſimum ſecundum augeri. Id autem minimè certum apparet. Verum quidem eſt caloris ſenſum pro tempore excitari, temperiei mutatione a gradu inferiori ad ſuperiorem; corpus autem calorem proprium retinebit, niſi temperies applicata ad gradum nonageſimum octavum aſcenderit. Minimè verò dixero quos effectus corpus expoſitum diutino tempore calori, qui proximè accedat ad ipſam corporis temperiem, in ſe experiretur; néve morboſum corporis ſtatum, cum caloris incremento, non inde excitandum eſſe. Non autem videtur ſani corporis temperiem unquam augeri, cùm inſigni caloris gradui ſubjicitur, niſi valida exercitatio eodem tempore uſurpetur; tum quidem calor auctus ſudoris eruptione citiſſimè aufertur.

CULLEN ait: "Every degree of tempera-
"ture leſs than 98° of FAHRENHEIT," quem corporis humani calorem eſſe opinatur, "may
"be conſidered as cold with reſpect to the
"human body; and, in proportion to its de-
"gree, will have a tendency to diminiſh the
"temperature of the body." Mox autem inquit: "In this climate, every temperature
"of the air above 62° applied to the human
"body, though ſtill of a lower temperature
"than itſelf, is found to increaſe the heat of
"it *."

Hæ aſſertiones prorsùs inter ſe diſcrepant: idem enim temperiei gradus certiſſimè non poteſt et corporis calorem minuere et augere. Si poſteriori propoſito aſſentiamus, temperiem corpori humano propriam impoſſibile erit ſtabilire; nam ſi omnis temperiei gradus ſupra ſexageſimum

* Firſt Lines of the Practice of Phyſic, § 88.

ſexageſimum ſecundum corporis calorem augeat, omnisque gradus infra ſexageſimum ſecundum eundem minuat, corporis temperies cum ſingulis medii circumdantis varietatibus neceſſariò mutabitur.

Ab experimento a chirurgo inſigni PARK inſtituto, patebit, quamvis calori graduum ducentorum et duorum, in noſocomii ſudatorio, expoſitus eſſet, corporis calorem gradum nonageſimum nonum et dimidium non ſuperâſſe *: a quo, tum factis pariter experimentis, a CAROLO BLAGDEN Equite, GEORGIO FORDYCE, M. D. et cæteris †, inferre licet, haud ullo caloris gradu infra ſuam temperiem, nonaginta octo graduum, auctum iri.

FRIGUS

---

* Philoſophical Tranſactions for 1775, vol. lxv.

† Idem volumen.

FRIGUS RELATIVUM.

Frigus relativum eſt quod ſenſum frigoris ſolummodò efficere poteſt, corporis temperie haud imminutâ. Mutatio quævis a temperie ſuperiori ad inferiorem frigoris ſenſum poteſt efficere, qui tamen ſenſus diu non permanebit, niſi frigus applicatum, ſit infra gradum ſexageſimum ſecundum, quod, ut ſuprà obſervavi, frigus abſolutum eſt habendum. Omnis itaque temperiei mutatio, inter gradum nonageſimum octavum et ſexageſimum ſecundum, a gradu ſuperiori ad inferiorem, frigus relativum haberi poteſt. Fortaſsè haud abs re ſit hìc iterum notare, vivum corpus, non ſolùm frigori reſiſtendi poteſtate prædituṃ eſſe, ſine ejus temperiei imminutione, niſi frigus infra gradum ſexageſimum ſecundum ſubſidat; ſed inſuper vi prædituṃ eſſe quemvis caloris gradum infra nonageſimum

mum octavum, ſine temperiei incremento, tolerandi. Quamvis enim caloris ſenſus excitari poſſit, temperiei mutatione factâ, a gradu inferiori ad ſuperiorem, inter ſexageſimum ſecundum et nonageſimum octavum gradum; quando tamen inſignis ſit ſenſus caloris, ſudor erumpit, quo, ſi calor corporis non minuatur, ejuſdem ſaltem incrementum impeditur.

Nunc de frigoris effectibus ſpecialibus agendum; fuſiùs enim dicere de frigoris in ſanum corpus effectibus generalioribus, hujus diſſertationis propoſito alienum putavi, in qua, de frigore, ut remedio morborum, in animo eſt diſſerere.

DE VI FRIGORIS SEDANTE.

Frigus, in nonnullis gradibus, et ſub certis corporis conditionibus, potentiâ ſedante manifeſtè gaudet, quippe quod principium

vitale, vel in parte ſingulari, vel in toto corpore extinguere valet. Quo inferior frigoris gradus et diuturnior applicatio, eò magis ſedantes erunt effectus; ſed in ſano corpore, ubi ejus temperies non augetur, nullam vim ſedantem habere videtur, niſi in gradibus infra ſexageſimum ſecundum. In morboſo autem corporis ſtatu, quivis frigoris gradus infra ſani corporis temperiem, efficaciſſimum remedium ſedans fieri poteſt, ſtimulum caloris, ſi præter modum augeatur, abſtrahendo, auctamque ſyſtematis arterioſi actionem, et alios motus abnormes ſedando, corporisque mobilitatem minuendo; et ſic multis morbis, variis de cauſis, remedium accommodatiſſimum evadet. Non autem aptum videtur ad principium vitale delendum, niſi circa gradum trigeſimum ſecundum aut inferius ſit, et diu continuetur.

DE

DE VI FRIGORIS STIMULANTE.

Frigus corpori ſtimulo eſt, cùm ſatis intenſum eſt, et ſubitò et per breve tantùm ſpatium adhibitum, veluti ſi quis in aquam frigidam deſcenderit, vel ſi hauſta fuerit, inſtante animi defectione, vel ſi vultus cui animus jam defeciſſet aquâ gelidâ ſparſus fuerit.

Nam etſi hi ſtimulantes effectus ex frigore abſoluto plerumque oriantur, et in pleriſque etiam caſibus ubi medium applicatum ſenſum frigoris ſubitaneum tantùm excitat, vel, ut ſuprà dixi, vi ſuâ relativâ operatur; quivis tamen frigoris gradus et quocunque modo adhibitus, ex ipſo ægri ſtatu, non ſolùm non eſt ſtimulans, ſed ſedans etiam et atonicum; ubi nimirum calor naturalis jam multùm imminuitur, viresque adeo franguntur, ut corpus ad validam reactionem excitari nequeat; vel ubi de frigoris ſenſu æger conqueritur,

aut

aut ſudor copioſus profluit. Nihilo autem in ægro adverſante, frigoris ſtimulus ſemper erit pro ratione gradûs adhibiti, velocitatis, temporisque brevitatis quo applicatur.

De his pleniùs poſteà dicam, cùm de frigoris effectibus in morbis quibuſdam ſpecialibus differendum erit.

DE VI FRIGORIS ASTRINGENTE.

Frigus non ſolùm vi ſedante ac ſtimulante, verùm etiam aſtringente pollet, efficitque contractionem vaſorum in corporis ſuperficie, cutis pallorem, perſpirationisque ſuppreſſionem. Frigus et abſolutum et relativum vim aſtringentem habere videtur, quod ex ſupradictis facilè intelligi poteſt. Hic autem effectus evenit certior, quando frigus ſenſim applicatur.

DE VI FRIGORIS TONICA.

REMEDIUM quoque tonicum ſatis efficax ſit frigus, ob eaſdem cauſas quibus ſtimulans eſt et aſtringens.

GREGORY noſter eximius, de frigoris vi tonica differens, ait: "Frigus, hoc eſt calor "minor, corpori admotum, inter certos, eos- "que ſatis arctos, limites, ſenſum et mobili- "tatem aliquatenus minuit, et ſimul vigorem "auget, et muſculos roborat, et exercitatio- "nem omnem facilem reddit et labores to- "lerabiles. Neque hoc in magnis tantùm "voluntarii motûs muſculis fit; ſed in om- "nibus quodammodo accidit *." Quam vim tonicam ARCHIBALD CULLEN hoc modo explicat: "Corporum vivorum fibræ motrices ferè

* Conſpectus Medicinæ Theoreticæ, vol. ii. § 1122.

" ferè ſemper in ſtatu quodam extentionis
" inveniuntur. Dum autem ita ſunt exten-
" ſæ, in contractionem ſemper nituntur, et
" hicce in contractionem niſus, eſt quem ea-
" rum tonum vel vim tonicam dicimus. Si
" verò, ut jam diximus, veriſimile ſit vim
" frigoris aſtringentem in partes vivorum ſen-
" tientes et motrices præcipuè agere, patebit
" frigus, etſi contractionem non ſemper in-
" ferret, niſum tamen in contractionem, ſive
" tonum, in partibus quibus applicatur au-
" gere ; et ſimul patebit, tonum illum, cum
" aliis corporis partibus, et ferè omnibus
" communicari poſſe. Hinc intelligimus, id
" quod ſæpè obſervatum fuit, quare frigus,
" ſæpè parti ſingulari, præcipuè autem to-
" ti corporis ſuperficiei applicatum, tonum et
" robur per totum corpus augere valeat *."

Idem

---

* Diſſertatio inauguralis de Frigore, ejusque Vi et Effectibus in Corpus Humanum, EDIN. 1780, p. 16, 17.

Idem frigoris gradus, eodemque modo adhibitus, et ſtimulat et roborat corpus ; eædemque cauſæ, quæ, in ſtatu corporis morboſo, vim ejus ſtimulantem pervertunt, poteſtatem quoque tonicam deſtruunt, idque ſedans validum et periculoſum reddunt. Sed quùm de his rebus jam mentionem fecerim, penitùs inutile erit plura dicere.

Balneum frigidum, potus frigidi, corporis cum aceto aut aqua frigida lavatio, et cum eadem ſubita perfuſio *, modi uſitatiſſimi ſunt frigus, ut remedium tonicum, applicandi.

Quamvis frigus, hiſce modis adhibitum, vi tonicâ gaudeat, vim tamen ſedantem quodammodo exerit, viz. caloris ſtimulum auferendo, auctam

* Currie ſuadet ut pluribus aquæ frigidæ (ſale marino ſaturatæ) congiis corpus nudum perfundatur, quandoque etiam aqua pura uſus eſt ; quo autem frigidior aqua, eò validiores erunt ejus effectus.

auctam ſyſtematis arterioſi actionem, corporisque mobilitatem minuendo. Sed cùm major vaſorum actio, mobilitas, &c. ſint ſtatûs debilitatis effectus, ex nimio calore auctæ vel provenientis, quodcunque itaque illum calorem abſtrahere poteſt, remedii tonici fungitur officio, debilitatis cauſam ſummovendo.

Hi varii frigoris effectus tam arctè inter ſe nectuntur, ut difficillimè nonnunquam ſeparari poſſint. Primus quidem frigoris effectus certè et ſtimulans et aſtringens eſt; ſuo enim ſtimulo ſolida viva ad contractionem ciet. Si corpus renixûs validioris capax ſit, et frigus ſubitò et per breve tempus applicetur, corpus ſtimulat et roborat; ſin autem frigus abſolutum diutius continuetur planè ſedat. Frigus etiam relativum diuturnum ſit ſedans et debilitans, ſi corpus ad validam reactionem non aptum, aut corporis calor infra ſanam temperiem ſit; ſin aliter corpus ſe habeat,

habeat, ut ſuprà explicavi, et ſedat et roborat.

In illis morbis chronicis, ubi quidam debilitatis gradus locum habet, ſubita frigoris applicatio, veluti balneum frigidum, corpus ad actiones validiores ſtimulat, et roborat. Ubi verò, propter magnam debilitatem, balneum frigidum vim ſedantem habere videtur, aut alioquin magnos et diuturnos artuum tremores, vultûs et cutis pallorem, debilitatem, nauſeam, et appetitûs defectum, producit, cum frigida aqua balnei aliquantum calidæ commiſceri debet, donec æger id tolerare poſſit, et tunc imminutâ gradatim aquæ calidæ copiâ, balneo tandem frigidiſſimo, non modò ſine incommodo, ſed cum maximo beneficio, uti poterit.

Conſuetudo purgandi ante balnei frigidi uſum, mihi ſæpiſſimè inutilis, nonnunquam periculo plena, videtur: nullum enim com-

modum habere poteſt, niſi ubi adſit plethora; corpus enim debilitat refrigeratque, et eò periculoſior erit frigoris applicatio, quò debilius eſt corpus aut inferior calor; quamobrem, exercitatione uti, ad corpus excitandum et calorem gignendi facultatem augendam, meliùs et tutiùs foret. Quod A. MUNRO DRUMMOND, in diſſertatione inaugurali de Febribus Arcendis, his verbis confirmat: "Nec fri-
"gida protinùs fugienda, vel calida tempe-
"randa, quamvis cutis pallida aliquantiſper
"fiat, vel leviter aliquis inhorruerit. Si
"exercitatio antecedat, quæ citra laſſitudi-
"nem et ſudorem eſt, hæc facilè evitari poſ-
"ſe experiendo didici: et ferè, ſi nil aliud
"obſtet, quò ante quiſque plùs incaluerit
"quàm in aquam intraverit, eò calidior
"emerget."

DE

DE FEBRIBUS.

Febres omnes auctum corporis calorem, gradu majori vel minori, diverſis curſûs temporibus * comitem habent; qui calor ſit ſtimulus debilitans et periculoſus, ſyſtematis arterioſi actionem et corporis mobilitatem augendo. Frigus itaque, in omnibus iſtiuſmodi morbis, utiliſſimum erit remedium; nam, calorem præter naturam abſtrahendo, de corpore demet unam e præcipuiis cauſis, quæ illam morboſam ſyſtematis actionem, quam febrem nuncupamus, fulciunt.

Regulas

---

* Augmentum caloris in ſtadio intermittentium calido, et in febrium continuarum exacerbationibus, ſemper obtinet, quando calor ſex vel ſeptem gradus ſupra ſanitatis temperiem interdum aſcendit; vix autem, aut ne vix quidem, ad tam altum gradum pervenit, quàm ſcriptores nonnulli aſſeruerunt.

Regulas quas ingeniosissimus CURRIE in corporis cum aqua frigida perfusione statuit, ad usum frigoris generalem posse accommodari opinor. Perfusionem ait adhibendum esse, " when there is no chillinefs presfent, " when the heat of the surface is steadily " above what is natural, and when there is " no general or profuse perspiration *." Corporis expositio aëri frigido, frigida lavatio, potusque gelidi, rebus aliter se gerentibus, sine dubio periculosissima forent. RUSH ait, " Cool air was improper in those cases, " where a chillinefs attended the disease †." Minimè verò negaverim aërem ad cubiculum ægroti, in omni febris periodo, admittendum esse; existimo tamen, ubi corporis calor infra sanitatis temperiem est, aut de frigoris sensu

* CURRIE's Medical Reports, p. 16. 8vo, LIVERPOOL, 1797.

† Account of the Yellow Fever, p. 285.

ſenſu æger conqueritur, corpus ab ulteriori caloris naturalis jactura, ſtragulis defendendum eſſe; ſi verò, eodem tempore, atmoſphæræ temperies ſit infra gradum ſexageſimum ſecundum, cubiculi aërem ignis ope eſſe temperandum. Quinimo, ſi inter perſpirationem profuſam, quæ ad calorem, evaporatione, imminuendum ſemper proclivis eſt, calor corporis ſupra ſanam temperiem non inveneretur, frigus quâvis ratione applicare nefas eſſet; quod, ſi non ſatis intenſum eſſet ad perſpirationem cohibendam, evaporationi tamen faveret, et inde corporis calorem citiſſimè deprimeret. Etenim cùm calor corporis infra gradum ſanitatis perducitur, rigor, vel frigoris ſenſus, cum anxietate, omnibusque primi ſtadii febris ſymptomatibus, oritur.

Currie, de ſubita cum aqua frigida perfuſione mentionem faciens, ait: " If the aſ-
" perſion of cold water on the ſurface of the
" body

" body be uſed during the cold ſtage of the " paroxyſm of fever, the reſpiration is near- " ly ſuſpended; the pulſe becomes flutter- " ing, feeble, and of an incalculable fre- " quency; the ſurface and extremities be- " come doubly cold and ſhrivelled, and the " patient ſeems to ſtruggle with the pangs of " inſtant diſſolution." Suadet itaque eam ſolummodò uſurpandam eſſe, " when the " exacerbation is at its height, or immediate- " ly after its declination is begun." Ubi verò caloris augmentum ſentit ægrotus, et thermometrum, corpori applicatum *, ſupra gradum nonageſimum octavum aſſurgit, frigus optimos effectus producet. Calorem pulſûsque frequentiam imminuet, præcordiorum oppreſſionem ſummovebit, et ſyſtemati tonum

* Bulbus thermometri ſub lingua vel axilla collocari debet; ubi calor ſemper magis regularis eſt, quàm in cæteris corporis partibus.

num conciliando, ſpaſmi ſolutioni, ſudorisque eruptioni favebit.

Hi effectus faciliùs obtineri dicuntur balneo frigido, et ſubita cum aqua frigida perfuſione; ſed, quamvis neutrum vidi adhibitum, non dubitare poſſum quod medici inſignes WRIGHT *, CURRIE †, GERARD, BRANDRETH, JACKSON ‡, MACLEAN ||, &c. teſtati ſunt.

CURRIE ſubitæ cum aqua frigida perfuſionis effectus hiſce verbis explicat: "The "ſudden, general and powerful ſtimulus gi-

"ven

---

* LONDON Medical Journal, 1786.

† CURRIE's Reports.

‡ JACKSON on the Fevers of JAMAICA; LONDON 1791.

|| MACLEAN's Inquiry into the Cauſes of the great Mortality among the Troops in ST DOMINGO, 1797.

" ven to the ſyſtem, diſſolves the ſpaſm on " the extreme veſſels on the ſurface, and of " the various cavities of the body; the ſud- " den and general evaporation carries off a " large portion of the morbid heat accumu- " lated under the ſkin; and the healthy ac- " tion of the capillaries being reſtored, the " remaining ſuperfluous heat paſſes off by " ſenſible and inſenſible perſpiration. The " ſtimulus of morbid heat and of morbid " ſtricture being removed, the inordinate ac- " tion of the heart and arteries ſubſides, and " the haraſſed and toil-worn patient ſinks in- " to that peaceful ſleep, which nature has " provided as the ſolace of our pains and " ſorrows, and the reſtorer of our ſtrength *."

Frigida lavatio, a Profeſſore noſtro GREGORY adeo laudata, efficaciſſimum ſit remedium in febribus

---

* CURRIE's Reports, p. 161.

febribus curandis*. Arteriarum pulſus brevi poſt lavationis frigidæ uſum ſemper tar-

 diores,

---

* Rush ſcribit*: "Cold water was a moſt "agreeable remedy in this diſeaſe. I directed it to "be applied, by means of napkins, to the head, and "to be injected into the bowels, by way of glyſter. "It gave the ſame eaſe to both, when in pain, which "opium gives to pain from other cauſes. I likewiſe "adviſed the waſhing of the face and hands, and "ſometimes the feet, with cold water, and always "with advantage. Cold water, when applied to the "feet, as certainly reduces the pulſe in force and fre-"quency, as warm water, applied in the ſame way, "produces contrary effects upon it."

Etſi diuturna frigoris applicatio nonnunquam periculoſa foret, quantùm tamen commodi ex totius corporis lavatione cum aqua et aceto, ſeparatim vel conjunctim, frigidis aut tepidis oriatur, expertus vidi. Si lavatio lentè perficiatur, et humor, qui in corporis ſuperficie manet, evaporare ſinatur, calor minuetur. Si verò liquor ſit tepidus, corpusque ſubitò lavetur, variæque partes ſtatim linteo fricentur, non videtur calorem

* Account of the Yellow Fever, p. 287.

diores, molliores, magisque regulares micant; delirium remittit, vel penitùs decedit; calorque et ſitis minuuntur.

Sitim levâſſe haud parvi momenti eſt; ſtimulus quippe ſiti excitatus, multò ſæpè moleſtior eſt ipſo calore, quocum tamen connectitur. Potus frigidi diluentes, non ſolùm ad ſitim ſummovendam apti ſunt, ſed ad calorem quoque abſtrahendum, ſolvendo ſpaſmum vaſorum extremorum ſuperficiei, faucium et ventriculi, inter quem et cutem tantus obtinet conſenſus *. Eædem regulæ in his exhibendis

---

lorem infra ſanam temperiem minui, ſed corpus leviter ſtimulari, et ad perſpirationem aptum fieri; lintei enim frictio levi proclivitati ad refrigerationem liquoris tepidi repugnare videtur, cujus evaporatione prohibitâ, talis lavatio nullum alium effectum quàm cutem mundandi, et aliquam fortaſsè relaxationem extremorum vaſorum efficiendi habere poteſt.

* Benè notum eſt, aquam frigidam, aliosque potus frigidos in ventriculum receptos, ſudorem ſæpè elicere.

bendis obſervandæ ſunt, quas in applicatione frigoris externa ſtatuimus.

Ex antedictis patebit, frigus nequaquam adhibendum eſſe, quando corporis calor infra ſanam temperiem eſt; in ſtadio itaque frigido febrium intermittentium, ubi ad gradum nonageſimum ſecundum nonnunquam decidit, et in omnibus quoque caſibus, ubi ſenſus frigoris ſolummodò evenit, potus calidi, et balneum fortaſsè calidum commodiſſima invenientur.

In febribus curandis ſemper debet in animo habere medicus, calorem corporis naturalem circa gradum nonageſimum octavum ſemper inveniri; eum itaque ſummâ ope niti decet, ne hunc vel ſuperet, vel ab eodem recedat; quandocunque igitur ab hoc gradu quodammodo ſe deflexerit eò iterum revocandus eſt.

DE PHLEGMASIIS.

Tam benè noti ſunt frigoris effectus in externis inflammationibus reſolvendis, ut de iis verba facere, in hac diſſertatione, penitùs inutile foret, præſertim quùm earum tractatio ad chirurgum potiùs quàm medicum pertineat.

Totum phlegmaſiarum ordinem nunc præteribo; notatu autem dignum eſt liberum aëris frigidi uſum, rerumque frigidarum, et glaciei quidem in phreniticorum capita applicationem, ab auctoribus nonnullis maximè commendari: narravit mihi Dr Nihell, qui in re medica peritiſſimus et amicitiâ mecum conjunctiſſimus eſt, ſe glaciem, maximo cum beneficio, capiti hominis phrenitide laborantis, applicâſſe.

DE

DE VARIOLA.

Nullus morbus, quo corpus humanum vexatur, plus ſecum affert periculi, quàm variola confluens; nulli plus commodi frigus conferre poteſt. Dolendum tamen eſt homines rarò juſtos ſervare limites, quando a via trita neceſſariò recedendum judicant; ſed in utramque partem vehementiùs agitatos, ultra citraque pariter vagari. Optimus Sydenhamus plurimos a morte vindicavit, qui omnium primus regiminis refrigerantis uſum, in variola tractanda, audebat inducere. Sed juſtos limites tranſivimus, frigidum aërem in omnibus morbi ſtadiis, ſine diſcrimine, adhibendo, ſtatu ægroti, quo ad caloris augmentum vel jacturam penitùs neglecto. Sydenhamus de variola annorum 1667, 1668, et 1669, differens, ne calorem naturalem tempore eruptionis augeamus, vel minuamus, monet

monet his verbis: " Gradus ille caloris ad " harum expulsionem promovendam accom- " modatissimus, naturalis sit oportet, atque " ejusmodi qui carnosarum partium tempe- " riei conveniat; quique hunc excedit, vel " ab eodem deficit, utrimque periculosus " est." Nunc commoda frigoris usu obtinenda considerabimus.

Ut periculum in variola discreta, numero pustularum in facie, plerumque estimandum; et cum hic est insignis, febris quodammodo speciem fert febris confluentis; et in confluente quoque ex magnitudine eruptionis, febrisque vehementiâ periculum pendet; ita ad has moderandas summam curam impendere debemus.

Primaria variolæ febris, assimilationis causa non effectus certissimè habenda est, etenim cùm nobis datur facultas frigus corpori in febris initio applicandi, materiæ assimilatæ quantitas,

quantitas, aut, aliis verbis, puſtularum numerus, maximè minuitur, qui ſemper major, minorve erit ſecundam febris vehementiam; et hæc etiam eò mitior erit aut gravior, quò magis frigori vel calori æger fuerit expoſitus.

Quæ cum ita ſint, in febre primaria aſſiduè adhibendus eſt aër frigidus, ſemper habitâ ratione ſenſûs ægroti, calorisque ſtatûs, qui ut plurimum ſupra ſanitatis temperiem reperietur.

Jamdudum notavimus frigoris applicationem, ubi corporis calor major quàm par eſt, arteriarumque pulſus nimis frequens, certam eſſe rationem utrumque minuendi, ideóque maximi momenti eſt in variolæ febre primariâ; eoque tempore potus frigidi diluentes ægro ad libitum ſunt permittendi. Pars ſtragulorum dimovenda, adhibendaque omnia quæ corpori refrigerando paria ſunt. Æger

quoque

quoque e lecto ſurgat, ſi vires ſinant, ne calor corporis augeatur.

Non dubito quin balneum frigidum, et ſubita cum aqua frigida corporis perfuſio, quibus CURRIE tantas laudes, in hoc morbo, tribuit, utiliſſima forent remedia ad calorem præter naturam, auctamque ſyſtematis arterioſi actionem minuendum. Plerique verò inuſitatis praxeos modis adverſantur, præcipuè ſi periculoſi videantur; neque balneum frigidum aut ſubita cum aqua frigida perfuſio, aliter a pleriſque haberentur: et hinc plerumque nobis ſufficere debet frigidi aëris et potuum frigidorum uſus, donec illæ rationes efficaciores frigus adhibendi, in uſum generalem paulatim inducantur. Cùm perficitur eruptionis ſtadium, et ſuppuratio incipit, uſus frigidi aëris potuumque gelidorum adhuc continuetur, dummodo calor corporis major quàm naturalis ſit; at ſi utriuſvis

utriuſvis applicatione frigoris ſenſus excitatus fuerit, aut calor corporis infra ſanitatis temperiem deciderit, eorum diuturniorem uſum periculoſiſſimum, ſi non lethalem, futurum eſſe opinor.

De frigoris effectibus in iſtiuſmodi rerum ordine, ſuprà mentionem feci ; nec affirmare dubito, me iterum iterumque maximum vidiſſe incommodum ortum ex uſu continuato in variola, ubi puſtulæ flaccidæ fuerunt, interſtitia pallida aut livida, et extremitates frigidæ, cum magna anxietate ; quæ omnia ex defectu ſanguinis circuitûs in extremis vaſculis, et ad centrum determinatione proveniunt ; hæcque etiam fortaſsè partim a continuatione extremorum vaſorum ſpaſmi, partimque a generali debilitate originem ducunt ; cum ex energiæ defectu, contra frigoris ſtimulum agendi facultatem corpus amiſerit.

In tanto rerum diſcrimine, mihi quidem rationi magis conſentaneum videtur, calorem ad ſanitatis temperiem revocare, quàm frigoris applicatione magis magisque minuere. Ob hanc rationem, ſi morbus tempore hyemali aut frigido exortus fuerit, ſuaſi ut aër cubiculi ægroti ignis ope temperaretur, aëre recenti per feneſtram ſubindè admiſſo. Suaſi etiam ut pedes et crura aquâ calidâ foverentur, et veſica aquâ calidâ plena ſcrobiculo cordis imponeretur, et maximo quidem cum beneficio ; liberior enim in extremis vaſculis circuitus, ſuppuratio felicior, et quæ præcordia vexabat oppreſſionis ceſſatio ſecuta ſunt.

Hæc autem praxis perrarò neceſſaria erit ; cùm corporis calor plerumque præter modum augeatur, cùm in ſuppurationis ſtadio, tum in febre primaria. Probè conſtat omnia ſupradicta ſymptomata, ſi extremitatum frigus excipiamus, ex calore præter naturam, et incitatiori ſyſtematis arterioſi actione, non minùs

quàm

quàm ex eorum defectu poſſe oriri; magna enim caloris in corpore accumulatio, ſpaſmum vaſorum extremorum, ſuapte naturâ, confirmabit; quia ejus ſtimulo, valida reactio excitabitur, quæ ſtricturam potius augebit quàm minuet. Tunc frigus reactionem ſedabit calorem minuendo, et ſpaſmus mitigabitur, vel penitùs ſolvetur.

DE RUBEOLA.

Etsi in rubeola, uti in cæteris morbis febrilibus, perniciosiſſimus ſit calor, anceps tamen eſt, quouſque frigus, ad illum calorem minuendum, ullo morbi ſtadio, tutò adhiberi poſſit. De hac re ait Cullen, " Analogy, " though ſo often the reſource of phyſicians, " is generally fallacious; and further, though " the analogy with the ſmall-pox might lead " to the application of cold in the eruptive

" fever

" fever of the meaſles, the analogy with " catarrh ſeems to be againſt the prac- " tice *."

In rubeola, periculum non ex eruptionis magnitudine, ut in variola, pendet, ſed ex affectione pneumonica. Malum itaque quod oriatur ex frigoris uſu, commodis indè obtinendis compenſari nequit. Si igitur calorem abſtrahere neceſſarium fuerit, meliùs et tutiùs aliis rationibus effici poterit. Quinam rubeolæ repulſæ forent effectus affirmare nolo, ſin autem frigore repulſa ſit eruptio, iterum revocanda eſt calorem corporis inſtaurando.

DE

* Firſt Lines of the Practice of Phyſic, § 650.

DE SCARLATINA ET SCARLATINA ANGINOSA.

Scarlatina ſimplex eſt morbus adeo levis, ut, in hac diſſertatione locum vix ſibi vindicet: ſatis itaque erit notare, frigus in hoc morbo æquè adhiberi poſſe, ac in aliis morbis febrilibus, nullâ ratione habitâ efflorescentiæ.

Scarlatina autem anginoſa, vel cynanche maligna, quam pro eodem morbo habeo *, tam

* Inter ſcarlatinam anginoſam et cynanchen malignam, nulla mihi videtur eſſe differentia; vidi enim cynanchen ulceroſam, rigoribus et cæteris febris ſymptomatibus ingruentem, ſed ſine ulla manifeſta efflorescentia, eodem contagio generatam, quod, in eadem familia, morbum cum efflorescentia excitaverat. Morbum utrumque efflorescentiâ ſtipatum deſcribunt auctores. Cullen quidem, licèt diverſis nominibus eos deſignet,

tam diros exerit effectus, ut ſummâ curâ opus ſit, ne altas radices agat. Morbi igitur principio,

---

deſignet, agnoſcit tamen ſcarlatinam anginoſam, in nonnullis caſibus, cynanchæ malignæ ſimillimam eſſe: "In all its ſymptoms reſembled very exactly the cy-"nanche maligna." Scarlatinam anginoſam, pro morbo mitiori habet; et obſervat: "But here there is "no cough, nor the other catarrhal ſymptoms which "attend the meaſles; nor is there that vomiting and "anxiety which commonly introduce the confluent "ſmall-pox, and which more certainly introduce the "cynanche maligna." Porrò inquit, quando coryza ſcarlatinam anginoſam comitatur, "That the matter "diſcharged is leſs acrid, and has not the fœtid ſmell "which it has in the other diſeaſe." Si cynanchen malignam ut ejuſdem morbi ſpeciem graviorem reſpiciamus, haud mirum eſt, eam ſymptomatibus gravioribus ſtipari, quàm ſcarlatinam anginoſam, aut ſpeciem mitiorem. Sed, ut ſuprà notavi, nulla dignoſco ſymptomata, quæ hanc ab illa diſtinguunt; efflorescentia utriſque communis, adeo quandoque levis eſt et fugax, ut vix aut ne vix quidem obſervari queat. Quidam ex caſibus mitioribus, vomitu et catarrhalibus ſymptomatibus ingruunt; fœtor autem materiæ,

cipio, quantum poſſumus, obſtare debemus; et præter uſitatas methodos morborum febrilium progreſſum ſiſtendi, ſubitam cum aqua frigida perfuſionem commendat GERARD, quam morbum citiſſimè depellere poſſe ait, antequam ulla efflorescentia, vel faucium affectio, ſeſe oſtenderit *.

Potus gelidi et aër frigidus tutiſſimè in hoc, æquè ac in cæteris exanthematibus, adhiberi poſſunt;

---

ex naribus et ore profluentis, ex gradu ulcerationis et amplitudine quodammodo pendere videtur.

Mihi fortaſsè invidiæ fuerit, quocunque modo, a ſagaciſſimo et celeberrimo viro D. CULLEN, diſſentire; ſed, in prælectionibus ſuis egregiis, in eam ſententiam it noſter GREGORY; et ſub tanti nominis umbra, opinionem meam cum fiducia repono, nec pudet meas ſaltem concluſiones hoc modo ſalvas reddidiſſe.

* Vide CURRIE's Reports.

poſſunt; benè perpenſis quæ de hiſce rebus toties annotavimus.

DE PESTE.

Si ex analogia fas eſt rationem inſtituere, ſit veriſimile, ex beneficiis frigore in typho obtinendis, illud in peſte quoque multùm profuturum eſſe; nec deſunt exempla eorum, qui in peſtis delirio ſeſe in mare conjecerunt, et poſteà convaluere.

DE FEBRE MILIARI.

Febris ſub nomine miliaris Saxoniæ, medio decimi ſeptimi ſeculi, ſe primò manifeſtavit, et deinde per totam Europam vagata eſt. A medicis antiquioribus pro morbo idiopathico habita eſt, et nonnulli quidem recentiorum

tiorum in eam ſententiam eunt. Mihi autem videtur morbum miliarem ut plurimùm, fortaſsè ſemper, ſymptomaticum eſſe: morbis enim febrilibus quibuſcunque, tam inflammatoriis quàm putridis, aliquandò adjungitur; nunquam verò apparet eruptio miliaris, niſi regimine calido vel ſudoribus præeuntibus.

Hiſce ſymptomatibus advenit febris miliaris, ab auctoribus deſcripta. Præcedit frigus et horror: ſequitur calor plurimùm auctus, cum magna anxietate: inſueta punctio ſub cute ſentitur, et ſudor fœtidus erumpit.

Eruptio, milii ſeminis figuram referens, nullo peculiari morbi tempore, et vix unquam in facie, apparet. Decedente uno puſtularum ordine, alter erumpit, quod per plures ſæpè dies, et diverſis morbi temporibus,

obtinet. Plenior hujus morbi hiſtoria, ab auctoribus diverſis eſt tradita *.

Cum frigore et horrore ingruunt febres omnigenæ; ſed anxietas et ſuſpiria aucti caloris ſunt ſequelæ, et regimine temperato, et ſudoribus vitatis, ſummoventur.

Adoritur laxos habitus omni vitæ tempore, et fœminas ſæpiùs quàm viros, ſed ſæpiſſimè puerperas. Minùs autem frequens noſtris temporibus, quàm olim, conſpicitur, ob diverſiſſimam puerperas tractandi methodum, præcipuè aërem frigidum potusque gelidos adhibendo.

Potus calidi ſtimulantes, et diaphoretica ſtimulantia, in febrium omnigenarum initio, nocent; nec dubito quin eruptionem miliarem producant, et omnem indè febrem in miliarem

* Vide SYDENHAM, CULLEN, WHITE, &c.

miliarem convertant. " Plerumque in prin-
" cipio morborum acutorum nocet" (ſudor), ait HALLER; et addit, " Ipſe tamen per ſe-
" ipſum neque petechias, neque miliarem
" morbum ſanat, neque variolas, et periculo-
" ſè per calida medicamenta quæritur, ut ne
" calidus quidem potus nimis tutus ſit, quem
" vidi de mitiſſimis herbis decoctum, bis in-
" tra triduum in delirium atrox hominem
" miliari febre laborantem conjeciſſe: qui
" idem refrigeratione undique quæſita leva-
" tus, denique convaluit *.

Eruptione itaque miliari pro ſudoris ſtirpe habitâ, patebit ſudorem ſemper evitandum eſſe, ubi eruptionis talis vel leviſſima ſigna apparent; præcipuè quòd nunquam critica eſt aut minimè ſalutaris.

Verba

* HALLERI Elementa Phyſiologiæ, tom. 5. p. 51.

Verba CULLENI, de hac re, hìc referam: "It is probable that the eruption is the effect "of ſweating; and that it is the product of "a matter not before prevailing in the maſs "of blood, but generated, under certain cir- "cumſtances, in the ſkin itſelf. That it de- "pends upon particular circumſtances of the "ſkin, appears further from hence, that the "eruption ſeldom or never appears upon the "face, although it affects the whole of the "body beſides; that it comes upon thoſe "parts eſpecially, which are more cloſely "covered; and that it can be brought out "upon particular parts by external appli- "cations *."

Ex his ſatis conſtat aërem frigidum, potusque diluentes frigidos, in omni febre hac eruptione

* Firſt Lines of the Practice of Phyſic, § 723.

ruptione ſymptomaticâ ſtipatâ, accommodatiſſima fore remedia.

Licèt olim apud pleroſque medicos prævaluerit opinio, frigus in exanthematibus nocivum fuiſſe, experientiâ tamen contrarium docemur; corporis enim calorem augendo, morbus plerumque ingraveſcit; et pleraque exanthemata aërem frigidum poſtulant.

DE HÆMORRHAGIIS.

Hæmorrhagiæ in activas et paſſivas propriè dividuntur; quarum priores illas complectuntur, quas nonnullus pyrexiæ gradus comitatur, et quæ ex aucto ſanguinis impetu in vaſis, unde profluit, pendent, et ex plethora præſertim totius corporis, aut partis ſingularis affectæ, originem ducunt. Poſteriores autem a vi aliqua externa proveniunt; at ſi internis

ternis fortaſsè cauſis excitentur, adhuc ſine pyrexia inveniuntur, ex nimia ſanguinis tenuitate, vaſorum teneritate et ſolutione continui, ſine aucta vaſorum actione.

Cauſas hæmorrhagiarum pleniùs indagare in animo non eſt; ſed commoda ſolùm frigoris applicatione obtinenda, in hæmorrhagiis, tam activis quàm paſſivis, reprimendis oſtendere.

Ad hæmorrhagias curandas aſtringentia planè indicantur; inter quæ eminet frigus, quod, aquæ frigidæ ope, corporis ſuperficiei admoveri, vel in partes internas injici poteſt *.

Ubi

* Fluida alia frigida, acetum imprimis, ad hæmorrhagias reprimendas quandoque uſurpantur; hoc verò propter aciditatem vi aſtringente quoque pollet.

Ubi vaſa partis, quibus ſanguis in hæmorrhagia activa provenit, plethorâ immodicè diſtenta fuerunt, tonum et poteſtatem ſeſe tantùm contrahendi, quantùm ad hæmorrhagiam reprimendam ſufficiat, neceſſariò amittent.

Frigus toti corpori, præcipuè autem ipſi parti læſæ applicatum, contractionem non ſolùm vaſorum, ſed cæterorum quoque ſolidorum viventium adducet, quâ ſanguinis fluxus quodammodo impedietur, vaſorumque diameter imminuetur.

Ubi etiam hæmorrhagia, laceratione vel ſolutione continui vaſorum partis cujuſcunque, vi aliquâ externâ, ingruerit, vis frigoris aſtringens quàm maximè proderit.

In hæmorrhagiis illis profuſis, quæ placentæ expulſionem interdum ſequuntur, in laxo præcipuè corporis habitu, frigus potiſſimùm eſt, ne unicum fortaſsè dixerim, remedium,

quod

quod tutò uſurpari poteſt. Vis frigoris aſtringens ſe protinùs oſtendet, ſi lintea, aquâ et aceto madefacta, abdomini, lumbis, externisque generationis partibus, applicentur.

Nonnunquam etiam ad hæmorrhagiam præcavendam conferre poteſt frigus, tonum vaſis conciliando; et ſic niſum in contractionem excitando, quo, niſi adſit plethora generalis, congeſtus ſanguis centrum verſus propelletur, parsque onere levabitur, quod vaſorum rupturam et ſanguinis fluxum conſequentem minabatur.

In omnibus quoque hæmorrhagiis, ubi æger lecto decumbit, ſtragulorum numerum minuere debemus, focum extinguere, frigidumque aërem per oſtia et feneſtras admittere; quibus rationibus, ſenſus ſaltem frigoris, vaſorumque conſtrictio, excitabuntur.

Balneum

Balneum frigidum, et remedia frigida et aſtringentia, affectis partibus applicata, utiliſſima erunt remedia in menorrhagia *, et leucorrhœa, e vaſorum uterinorum debilitate provenientibus, et corporis totius debilitate continuatis.

In amenorrhœa, quoque, balneum frigidum, propter vires ejus roborantes, quàm maximè prodeſt.

DE PARALYSI.

Vis frigoris ſedans in paralyſi, ſine dubio, nocebit. Sin autem ſubitò et per breve tan-

* Aſtringentia, uti decoctum corticis granatorum cum pauxillo zinci vitriolati, et ſimilia, glaciei ope frigefacta, in uterum tutiſſimè, et maximo quidem cum beneficio, in menorrhagia injici poſſunt.

tùm ſpatium applicetur, more balnei frigidi, corpusque eodem tempore ad validam reactionem aptum ſit, utiliſſimum remedium ſtimulans roboransque eveniet; et ob hanc rationem, ad nonnullas paralyſes vetuſtas ſanandas, plurimùm ſæpè contulit.

In ſyncope, etiam, ſubita ac brevis frigoris applicatio convenit; ſuo enim ſtimulo, vires vitales ad ſolitos motus excitantur, viresque animales, ſenſus motusque voluntarius ad ſtatum ſolitum redeunt,

DE DYSPEPSIA, HYPOCHONDRIASI, &c.

In affectionibus dyſpepticis et hypochondriacis, in quibus ſemper adeſt inſignis organorum concoctionis debilitas, vis frigoris tonica maximum ſecum affert beneficium. Exercitatio itaque ſub Jove frigido, et balnei frigidi

frigidi uſus, dum generale robur corpori conciliant, actionemque præcipuè vaſorum extremorum in corporis ſuperficie excitant, fibrarum quoque muſculoſarum ventriculi tonum et robur augere valent, et illum ad ſanas actiones incitare. Nullum itaque ad iſtiuſmodi morbos ſanandos accommodatius eſt remedium, quàm frigus more debito adhibitum.

DE MORBIS SPASMODICIS.

Aqua frigida in crura, femora, et abdomen nuda ingeſta, optimos effectus in colica, aliisque conſtipationis pertinacis caſibus, præſtitiſſe dicitur. "Poſt alia," inquit Home, "incaſsùm tentata, aqua frigida ſubitò in pe-"des, crura et abdomen nuda ingeſta, alvum "ſæpè feliciter ſolvit, ægrumque ex orci "faucibus ſervavit; multa enim in præ-

"cipiti

" cipiti periculo rectè fiunt alias omitten-
" da *."

DE MORBIS CONVULSIVIS.

Balneum frigidum, et ſubita cum aqua frigida perfuſio, in quibuſdam morbis convulſivis, optimos exſerunt effectus. In tetano, maximo cum ſucceſſu uſurpatum eſt balneum frigidum, cujus exempla in appendice libri ſui ingenioſiſſimi tradidit Currie.

In infantium convulſionibus ex irritatione ortis, et in paroxyſmo hyſterico, ſubita aquæ frigidæ applicatio, uti balneum frigidum aut ſubita aquæ aſperſio planè prodeſt; et epilepſiam quidem puerperarum aliquantò ſuſpenſam

* Principia Medicinæ, p. 157.

ſpenſam vidi, faciem aquâ frigidâ aſpergendo.

DE INSANIA.

Insaniæ ineſt vis ſingularis frigus tolerandi ; ita ut multùm commodi ab ejus applicatione per aërem nequaquam exſpectandum ſit. Balneum autem frigidum in mania magnoperè profuiſſe dicitur, præcipuè ſi perſtante furore uſurpetur, et ſubitò et inopinatè in aquam immergatur æger, ibique retineatur donec ſedantibus effectibus cedunt ſtimulantes, quâ ratione tranquillitas reſtituetur. Frigus maniacorum raſis capitibus applicatum, inter utiliſſima remedia celebratur.

DE TYMPANITIDE ET HYDROPE.

Potus frigidi, et frigus externè adhibitum, balneum imprimis frigidum plerumque uſurpata

pata fuerunt ad canalem inteſtinorum roborandum, cujus debilitas tympanitidis cauſa habetur.

Cùm conſtat remedia tonica in hydrope curanda, multùm prodeſſe; ipſo primo quidem intuitu, balneum frigidum in variis hujus morbi ſpeciebus ſanandis utiliſſimum fore remedium duceremus: ſed ante oculos ſemper habere debemus, quid de frigoris effectibus toties obſervatum fuit, balneum ſcilicet frigidum nunquam tonicos exerere effectus, niſi corpus contra ejus ſtimulum agere valeat. Quùm verò in hydrope magna ſæpè adſit debilitas, balneum frigidum plerumque nocebit, donec evacuantur aquæ, viresque ægroti aliquantulùm reſtituuntur: tunc quidem totum corpus roborando, morbique regreſſum præcludendo utiliſſimum erit.

Aër frigidus in hoc morbo aliquatenùs prodeſſe poteſt, actioni diureticorum favendo.

DE

DE RACHITIDE ET SCROFULA.

Quæcunque rachitidis ſit cauſa remota, inter prima ſymptomata annumerandæ ſunt muſculorum laxitas et generalis corporis debilitas ; tonica itaque planè indicantur, inter quæ balneum frigidum maximè videtur prodeſſe. Vix unquam exiſteret hic morbus, ſi, ab ipſo natali die, pueri aquâ frigidâ quotidiè laverentur, et ſub divo exercerentur. Si verò malleolorum aut carporum tumor, vel quodlibet hujus morbi ſymptoma ſeſe oſtendat, ad balneum frigidum ſtatim confugiendum eſt. At ſi balneo utendi non detur facultas, quod pauperibus, in magnis civitatibus, ſæpè contigit ; ſuaſi ut corpus frigidâ aquâ ſubitò perfunderetur, quod par ferè beneficium ſortitum eſt.

In ſcrofula, quæ cum rachitide interdum connectitur, quamvis morbus ſæpè diſtinctus apparet, prodeſt balneum frigidum. Balneum marinum, et lavatio ulcerum cum aqua marina, a nonnullis maximè laudantur: ſed dubito an plùs commodi ſecum afferant quàm aqua communis frigida.

In pleriſque etiam morbis chronicis, ubi tonica indicantur, aër moderatè frigidus, balneumque frigidum, auxilium præbent. Non autem e memoria delenda, quæ de frigoris actione, pro certo corporis ſtatu, ſuprà diximus; nullum enim remedium eſt, teſtante BOERHAAVIO, " quin ſolo tempeſtivo uſu " tale fieret."

Med Hist
W4
E23
1799
N.1